

REVTLINGENSE.

16

*Huic similis virtute nitens, candore coruscans
Thomas Proconsul dictus cognomine Fullo
Et Grezingerus Samuel spectabilis ore
Vir bonus & prudens magna grauitate decorus.
Archigrammateus vir facundissimus vrbis
Syndicus est, legum, iurisq; peritus & aqu
Mæcenas studijs, qui dicitur Ottho Georgus
Ingenio solers, & doctus in arte Magister,
Cui Grezingerus Benedictus in arte Magister
Philosophia tuâ successit munere auito.
Addimus Hirterum similem te Iane Philippum
Hirtera gentis claris Natalibus ortum
Reütlingam quoniam multis virtutibus urbem
Ornauit gens illa vetus pietate celebris:
Hirteri fasces hac consulis vrbe gerebant.
Ecqua laude canam? quo digno carmine dicam
Huius auum celebri Ludouicum nomine clarum
Doctorem, Camera Rheni Imperialis ad undas
Qua iacet hospitium: fuit hic celeberrimus olim,
Principibus, Ducibusq; viris, & Regibus altis
Gratus & acceptus, vir dandis utilis auctor
Consilij, & mente sagax, legumq; peritus
Notus in occiduis: Eois notus in oris.
Quòd bene tractaret præclara volumina Iuris
Patria cui Reütlinga fuit dulcissima Nutrix.
Filius huius erat Wolfgangus Adolphus & ipse
Iuris erat Doctör præclarus honore, locoq;
Floruit Assessor Camera clarissimus olim
Qui fuit ereptus tibi Iane Philippe tenello
Præcoce morte, tuis in florescentibus annis,
Tu tamen ad summos venisti Doctör honores
Atq; tuum conaris auum, charumq; parentem
Ingenio præstare pari, pietate, fideq;*

M. Georgius Ottho Archgrammateus & Syndicus Reutlingensium.

Benedictus Grezingerus Archigrammateus Reutlingensium factus An. 1597. die Martini. Ioan. Philippus Hirter I. V. D.

Ludouicus Hirter I. V. D. Reutlingensis, Camera Spirensis Assessor.

Wolfgangus Adolphus Hirter Assessor fuit pater Ioan. Philippi.

Et Tubingæ Anno 1592 die 10. Maii